



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Stella Mystica

Bonald, François

Coloniae, 1607

Animae in periculis sua salutis constituta ad diuinam opem confugit,
illamque pijs precibus implorat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10014

ope roboreris, quàm superari,
ac sempiternæ salutis naufragi-
gium facere.

Hæc, ô fidelis Anima, fre-
quenter tecum expende, ac
quam multi singulis penè ho-
ris ac momentis pereant ac per-
petuæ scelicitatis suæ iacturam
patiantur, intuere. Ex illorum
damnis tu disciplinam accipe,
& ne in eandem calamitatem
incidas, oculos ad cælum attol-
le, Deumque toto corde preca-
re, vt te ab his periculis eripere,
ac præseruare dignetur.

*Anima in periculis suæ salutis consti-
tuta, ad diuinam opem confugit, it-
lamque pijs precibus im-
plorat.*

HE V me miseram & ino-
pem: quis me de pericu-
lis quibus circumdata sum exi-
met? Heu me, vndique à dexte-
ris

A 3

ris

ris & à sinistris obfideor atque oppugnor, nec tamē siue in terra, siue in mari quemquam reperio, qui me tueri possit ac saluare. Tu, ô summe DEVS cœlorū, solus es, qui me protegere, atque pericula hæc depellere, ac propulsare vales. Ad te igitur venio, ad te clamo, ad te Patrem vniuersorum & DEVM totius consolationis confugio: sine tuo lumine in tenebris nauigo: sine tuo auxilio æternæ mortis discrimen adeo.

Gen. 1.
Apoc. 1.
1. Pet. 3.

Tu ad imaginem & similitudinem tuam me condidisti, filius tuus pretiosi sanguinis sui pretio me redemit, atque cœlestis regni hæreditatem mihi acquisiuit. Ad hoc regnum mea tēdit nauigatio: illuc peruenire atque illius fœlicitate potiri maximoperè desidero. Ne patiaris ô DEVS, me vlla inimicorum
meo-

M Y S T I C A. 7

meorum fraude autversutijs ab
 hæreditatis meæ consecutione
 præpediri aut ab ea prorsus deij-
 ci atq; deturbari. Tu angelos ad
 Loth misisti, qui eum de conflâ *Gen. 19.*
 gratione Sodome & Gomorrhæ
 liberarent. Tu Raphaelem An- *Tob. 5.*
 gelum delegisti, qui Tobiam iu-
 nioré in itinere comitaretur &
 protegeret, qui eum à deuorati-
 one piscis eriperet, qui demonis
 (cui nomen Asmodeus) ipsū præ-
 focare quærentis conatus fran-
 geret, q; deniq; pericula omnia
 capiti eius impendentia ab eo
 propulsaret, multisq; beneficijs
 auctum, incolumem reduceret.
 Tu tribus Magis in Oriëte cõsti *Matt. 2.*
 tutis stellam cõtulisti, quæ illos
 ad pueri IESV recens nati cuna-
 bula, sine errore, perduceret.

Ego dignus non sum, in quẽ
 tâ insigne beneficiũ cõferatur:
 licet bonº & fidelis dux itineris

mihi vehementer necessarius
 sit, cuius ductu mare huius mū-
 di tuto emetiri, atque ingentia
 pericula in eius enauigatione
 ceruicibus meis intenta supera-
 re valeam. Quæso Domine du-
 cem mihi talem præbe, quali
 me opus habere nosti. Hoc au-
 tem oro atque obsecro, vt quam
 citissimè facias: mors enim in-
 gruit certissima, cuius hora ni-
 hil incertius. Mortem excipit
 iudicium particulare, atque in-
 de vniuersale: vbi omnium a-
 ctuum strictissima reddenda
 erit ratio, in quo si *iustus vix sal-
 uabitur*, vti S. Petrus Apostolus
 ait: *impius & peccator vbi parebunt?*
 Ibi Christus summus viuorum
 & mortuorum iudex terribili
 hac sentētia impios omnes sem-
 piternis ignibus adiudicabit:
*Discedite, inquiet, à me maledicti in
 ignem eternum qui preparatus est
 Diabo-*

1. Petr. 4.

Matt. 25.

M Y S T I C A.

Diabolo & Angelis eius. Quis non totus tremore ac horrore concutiatur ad tonitruum tam horrendæ sententiæ? Namque in infernum vbi nulla est redemptio, descēdere, est naufragium facere irreparabile.

Quamobrē, ô summe DEVS, opem fer mihi miseræ, meque de hoc exitio ac æterna perditione salua. Tu dixisti te nolle mortem peccatorum, sed potius conuersionem & vitam: indulge igitur mihi tempus ante actæ vitæ flagitia deplorandi, omnes peccandi occasiones submoue, atque ne in priora peccata recidam, præserua. Libera me de mundi vanitate: de terrenorum bonorum illecebris: de carnis effrœnata concupiscētia. Quid enim mihi profuerit regia dignitate fulsisse? quid totius orbis thesauros accumulasse? quid vo-

Ezech. 18.
v. 33.

A s; lupta

luptatibus & delitiis carnis
 in præfenti affluxiffe? fi post
 egressum ex hac vita dæmoni
 perpetuo mâcipandus, ad extre-
 mam inopiam redigendus, & nû-
 quam finiendis inferorum sup-
 pliciiis adiudicandus fim? Non
 mortui laudabunt te Domine, neq; o-
 mnes qui descendunt in infernum, sed
 nos qui viuimus. Illi, inquam, qui
 te ducente, atque protegente ad
 fœliciffimum salutis & vitæ æ-
 ternę portû appellent. Ad hunc
 perduc me Domine, & laudabo
 nomen tuum cum Angelis &
 sanctis omnibus beatiffimi re-
 gni cœlestis incolis, per om-
 nia sæcula sæculorum.

Amen.

Pfal. 113.

Am-